

cum Oratoria in pace & tranquillitate consistunt, Ecclesiastica beneficia pauperes Christi nutriunt, laus Deo condigna depromitur, & remedia peccatorum tam vivis quam defunctis pie impenduntur.

Eremus sub tutela Sedis Apostolicæ suscipitur.

§. 1. Unde nos in eadem Apostolica Sede, non nostris meritis, sed divina locati gratia, Oratorium sancti Salvatoris in Campo Amabili constructum, & omnes Cellas ipsi adherentes & circumcirca adjacentes, & omnia ad ipsum pertinentia, communi rogatione Fratrum, in tutelam apostolicæ auctoritatis, & nostram successorumque nostrorum suscipimus defensionem: salva quidem sua Matricis Ecclesiæ debita & canonica reverentia; Volentes, ut tam pia fidelium animarum devotio, quibus idem Oratorium fuit inceptum, & adhuc usque productum, Deo crescat, & illis eorumque posteris & successoribus, ad salutem corporis & animæ proficiat. Sic denique ipsum Oratorium & prædictum locum, cum omnibus cellulis & hospitibus suis, seu universis rebus ad eum pertinentibus, in nostram defensionem suscipimus, ut tam illa, quæ modo habere & tenere videtur, quam quæ in antea Deo largiente iuste acquirere poterit, ubicumque posita fuerint, sub Apostolicæ Sedis custodia & tuitione consistant.

Enunciatio locorum Eremiti.

§. 2. Primo itaque loco ponimus Eremum & Oratorium situm in loco, qui dicitur Campus Amabilis. Secundo, Hospitium ejus, quod dicitur Fons Bonus. Tertio Cœnobium, quod est constructum in loco, qui dicitur Cerreto, qui est infra comitatum Vulturnensem. Quarto, in loco, qui dicitur Agna. Quinto, in loco, qui dicitur Monte, & Soci. Sexto, in loco, qui dicitur Arcina. Septimo, in loco, qui dicitur Challiano & Punina. Octavo, in loco, qui dicitur in Chio, & Ecclesia S. Savini. Nono, in loco, qui dicitur Fogiano.

Iusso, quod a nemine perturbetur Monachi;

§. 3. Sancimus igitur hoc nostro privilegio, ut neque Rex, Imperator, Dux, Comes, aut Pontifex, aut aliqua persona, idem Oratorium aut Fratres ibi Deo servientes, ejusque Territoria, aut aliqua sibi iuste modo, aut antea pertinentia, invadere aut molestare, vel aliquo modo inquietare præsumat. Libertatem vel licentiam Ecclesiastici juris, quam hucusque habere visi sunt, seu quam iuste in antea habere poterunt, in hac eadem serie confirmamus, & perpetuum fore statuimus. Ne quis etiam malas consuetudines superinducat, quibus idem Oratorium a sua Religione turbetur, apostolica auctoritate prohibemus.

Et in celsitudine contemplationis perseverent.

§. 4. Ita tamen volumus & constituimus, ut jam dictum Oratorium cum cellis suis omni tempore, eo modo atque tenore, quo prius incoatum est, & ad nostra usque tempora productum, maneat in suo vigore atque habilitate; scilicet ut semper Eremitico tramite contemplativæ vitæ celsitudine perseveret. Nec liceat cuiquam umquam, aut Abbatem ibi ponere, aut Cœnobium facere, sed semper solitaria vitæ locus ipse sit deditus, & firmitate continua dedicatus.

Licentia recipiendi ordinis a viciniori Episcopo Ordinarius sit canonice impeditus.

§. 5. Hoc quoque, vestra caritate rogante, & huic Apostolicæ Sedis Privilegio annectimus, ut si quando opportunum fuerit, aliquem ex vestra Congregatione in Ecclesiasticos gradus ordinari, & Episcopus, ad cuius Parochiam jam pertinet prædictum Oratorium S. Salvatoris, seu

aliqua ex Ecclesiis vel cellulis vestris in antea pertinebit, simoniaca hæresi fuerit depravatus, ut rite & canonicè Episcopale non possit implere Officium; tunc libera facultas & licentia pateat vobis, adire catholicum & bene viventem Episcopum, ubicumque in vestra vel proxima Provincia inventi potuerit, ut ab ipso Ecclesiasticis gradibus & officiis ordinari ex vestra Congregatione dignus esse possit. Sacris enim Canonibus, & bonis congruit moribus, ut scuti qui ordinandi sunt, bonæ vitæ rectæque scientiæ existere debent, sic juxta Apostoli sententiam illi, qui manus ordinandis imponunt, irreprehensibiles, & absque crimine inveniuntur.

Excommunicatio in violatores hujus indulti.

§. 6. Si quis autem temerario ausu, quod fieri non credimus, contra hujus nostræ apostolicæ auctoritatis confirmationis seriem agere tentaverit, sciat se esse excommunicatum a Beato Petro Apostolorum Principe, & nostræ apostolicæ auctoritate.

Gratia illud obfervabitur.

§. 7. Qui vero custos & observator hujus nostri Privilegii extiterit, benedictionis gratiam, & vitam æternam a Domino consequi mereatur.

Dat. die 29 Octob. anno 1073. Pontif. anno XII.

Dat. Luca IV. Kalend. Novembris per manus Petri S. R. E. Presbyteri Cardinalis ac Bibliothecarii, Anno duodecimo Pontificatus ipsius Domini Alexandri Papæ II.

XXX.

Privilegium Ecclesiæ Petri Damiani.

Aliud Privilegium Eremo Petri Damiani concessit Leo PP. IX. Cons. Convenit &c. Dat. Anno 1050.

Alexander Episcopus Servus Servorum Dei, omnibus Eugubinis, Clero & populo, fidelibus videlicet sancti Petri, salutem & apostolicam benedictionem.

Inter Damiani Opera in insula Tomi 111.

NON ignorat sancta vestra devotio, dilectissimi fratres & filii, quia Ecclesiam carissimi fratris & Coepiscopi nostri Petri Damiani, in beati Luca Evangelistæ nomine consecratam, nos in beati Petri Apostolorum principis nostræque tutela ac defensione suscepimus, salva reverentia, & utilitate sanctæ Romanæ Ecclesiæ; eamque, ut ad orationis & sacrificii gratiam vigeat, ac illibata permaneat, ex Apostolicæ Sedis auctoritate firmamus. Quapropter quicumque prædictum Oratorium qualibet machinatione vel studio destruere, vel hostiliter impugnare tentaverit, ab omnipotenti Deo ac beato Petro Apostolo excommunicandum se esse non ambigat; & usque ad satisfactionem congruam excludendum se a liminibus sanctæ Ecclesiæ, prout dignum est, perhorrescat; sicut dicit Apostolus: Si quis templum Dei violaverit, disperdat & illum Deus. Qui prædictum locum sanctum, pro Christi amore coluerit, & intemeratum atque incolumem servare studuerit, ipse quoque, per intercessionem beati Petri templum Christi fiat, & benedictionem sui Redemptoris hæreditate possideat.

Ecclesia hæc, sive potius Oratorium sub tutela Sedis Apostolicæ suscipitur.

Anathema contra quid in illud attentantes.

2. Capit. 3.

XXX.

Confirmatio Erektionis Ecclesiæ in Wisegrad, quæ totius Bohemiæ Caput & Metropolis declaratur.

Alexander Servus Servorum Dei, Urbis Romæ Episcopus & Papis suis successoribus, nec non catholicis Episcopis, sanctæque Romanæ Ecclesiæ subiectis cunctis, utriusque vitæ prosperitatem, & apostolicam benedictionem a summo Deo cum omnibus Sanctis.

Ex Cosma Pragis Chronico inter ver. Bohem. Script. ed. Marquardo Freberio.

Exordium.

Historia fundationis Ecclesiæ in Wisegrad.

EA, quæ dominus Deus suam per clementiam ad augmentum Apostolicæ Sedis condonare dignatus est, ad agnitionem omnigenarum linguarum, hoc sub chirographo propagari volumus. Primum quidem misericordiam Dei super nos diffusam liquide annunciamus. Boemorum Dux Wratislaus vir christianus, fidei integerrimus amator, rebus in bellicis magnificus triumphator, quod serenissime ubique terrarum claruit, limina Apostolorum Petri & Pauli honestos per nuncios quotidie visitans, nos ceterosque in Dei servitio devotissimos omni beneficio non minime præteriens, piæ mentis devotione innotuit: Multa ante tempora votum Deo voti, quod adhuc nequaquam implevi. Ecclesiam in honore Salvatoris nostri, cuius ubique protectione nutritus, vestra pietatis auxilio adificare cupio. Dicitis talibus auditis, pontificalis apex ut ad cresceret, sanctorum Patrum numero septuaginta duorum communi consilio penitus collaudavimus. Igitur ad hæc perficienda Joannem Episcopum Tusculanensem fundamentum dare misimus, cuius in præsentia ipse præfatus Dux copiosos terra onustos duodecim pro priis humeris portasse videbatur. Locus ergo, in quo est erecta, Wisegrada cognominatur, quod sonat liberaliter altior civitatis. Quam sacrosanctam Ecclesiam totius provinciæ Caput dici, venerari sanximus; prædiis, mancipiis, auro, argento, ceterisque ornamentis decenter ditatum comperimus. Episcopi ejus sub dominio suis de decimis trecentos homines ad eandem Ecclesiam segregaverunt; Præsul Pragensis ducentos, Olomucensis centum, fratrum suorum Conradi & Ottonis consensu. Hoc itidem asyllum tutamini beati Petri principis Apostolorum, cunctisque in ejus Sede sessuris firmiter commendavit. Marcas XII. de eadem Ecclesia ad pedes universalis Papæ, quicumque erit, omni anno offerendas sub Christi testimonio destinavit. Hujus vero conditionis gratia cunctis celsior in eadem regione ut videretur Ecclesiis, qualicumque apparamento septem Cardinales altari S. Petri ministrare student, mitra, sandaliis; simili modo ipsius Ecclesiæ Pæpositum, Presbyterum, Diaconum, Subdiaconum incedere præcipimus. Laudes, quas sub diademate statutis diebus proclamare solemus, solummodo in ista Ecclesia adstante Duce summa diligentia Christum collaudare permittimus. Christina baptizandi, consecrationem Clericorum, Episcopus loci illius invidia diaboli attentus, obnegare si præsumpserit, nostri decreti iudicio apud quemlibet Episcopum inveniat, & accipiat. Nemine autem præpediente, omnem injuriam in Romana Synodo libere proclamet. Scripta istarum literarum Sigillo

Hæc Ecclesia totius Bohemiæ caput, & Metropolis constituitur.

Dos Ecclesiæ.

Annus Census Apostolicæ Sedis per solvendus.

Ufus Mitre & Sandaliorum pro Sacerdotibus Altari S. Petri ibidem ministrantibus.

Sacramenta ibidem Episcopus conferre si negaverit, a quolibet petantur Episcopo.

impresso, supra venerandum corpus beati Petri Apostoli posuimus; maxime ea pro causa, ut si quis Dei inimicus, mandatorumque ejus contemptor, hoc divellere voluerit, sciat se ab omnipotenti Deo in perpetuum condemnatum, ac cum ceteribus Sanctorum nil commune fore; sed cum diabolo inextinguibili gehennæ incendio æternaliter concremari. Data hæc in manus Petri Præpositi sancti Georgii in palatio Lateranensi, sub Henrico Rege filio Henrici gloriosissimi Imperatoris; VII. Idus Maii.

Confirmatio Præcepti hujus.

XXXI.

Bulla contra Simoniam in Lucefem Ecclesiam investam in collationibus Beneficiorum.

Alexander Episcopus Servus Servorum Dei, Lucefensis Ecclesiæ Clero & Populo in perpetuum.

Ex Tabulario Canonico. editi Ughelli. Ital. Sac. Tom. I.

Exordium.

CUM divina Providentia idcirco nos in Sede Apostolica constituere voluerit, ut omnium Ecclesiarum generalem curam gerere debeamus; tum maxime illi Ecclesiæ studium nostræ devotionis sollicitum est exhibendum, in qua ante susceptum universalis regiminis opus, Ecclesiastici officii necessitate laboravimus, & cui privata quodammodo dilectione prius deservire studuimus. Circa Lucefem itaque Ecclesiam tanto specialius nostræ devotionis studium desideramus impendere, quanto & illi privata ejus, & publica omnium cura compellimur providere. In ea igitur quod multis temporibus male pullulasse, & in robur jam inveteratæ malitiæ comperimus excrevisse, divini verbi gladio succidere, & penitus extirpare optamus, ut Deo volente, eritis spinis vitiorum in fertilem postmodum messem semen illic satum valeat abundare. Ex multis temporibus hoc detestabile malum intra ipsam Ecclesiam inolevisse cognovimus, ut nulli unquam clerico, quamvis religioso, quamvis scientia & moribus prædito, ecclesiasticum beneficium concederetur; nisi ei, qui profano pecuniæ munere illud emere studuisset: fiebat Ecclesia, & res ejus ita venalis, veluti quædam terrena & vilis merx a negotiatoribus ad vendendum exposita. Quod malum, quam detestabile, quantum Deo Sanctisque sit contrarium, & sacri Canonis docent, & fere omnibus manifestum existit. Chalcedonense namque Concilium, unum ex principalibus, simili poena condemnat eos, qui sacram manus impositionem, per quam Spiritum sanctum confert, mercari dignoscuntur. Utrosque enim autoritate inexpugnabili illos a beneficio, istos sacro ordine jubet repelli. Sacrorum vero Canonum autoritate docemur, omnia, quæ Deo vel ejus Ecclesiæ offeruntur, sacra fieri ipsa oblatione; nullaque autem sacra fieri possunt nisi Spiritu Sancto, a quo omnis sanctificatio procedit. Nam sicut omnis qualibet res, cum Imperatori deferatur, Imperialis efficitur: sic cum ex voto Deo vel Sanctis offertur, divina ac per hoc sanctificata cognoscitur. Non igitur mirum, si pari poena constringit eos, qui aut sacrum ordinem, aut sacram rem Ecclesiæ vendere seu emere audent, cum neutrum nisi sancti Spiritus dono valeat sanctificari. Præterea cum sacrorum Canonum auctori-

Alexander II. antea Lucefensis Episcopus.

Simoniaca lae bes prave in Lucefensi Clero investam.

Simoniaci & Chalcedonensis Concilii dam nati.

Quæ Deo offeruntur, sacra sunt.

Eodem modo qui sacrum ordinem, ac qui sacram Ecclesiæ rem vendunt, vel emunt.

Divisio redituum Ecclesiasticorum in quatuor partes facienda.

Simonia damnata in veteri Testamento.

Psalms. LXX. 16.

Matt. XXI. 12. & seq.

Apo. XI. 5.

Simoniaci a Sancta Ecclesia longe proiciendi.

Qui columbarum venditores; Qui nummularii intelliguntur.

Exemplum Ananiae & Saphirae.

ritas quatuor ex rebus Ecclesiae jubeat fieri portiones, quarum una pauperibus, altera fabricis Ecclesiarum sit impendenda, tertia Episcopo, quarta clericis conferenda; sicut pauperibus Ecclesiarum singulae partes gratis sunt concedenda, ita quoque reliquae partes nec ab ipso Episcopo vel Clero sunt retinenda, aut vendenda; sed eis pro Evangelii praecipio, & officii sui labore eodem modo conferenda. In veteri quoque Testamento cum adhuc gratia Evangelii non coruscaret in mundo, legitur scelus hoc quantum abominabile esset, cum tempore Jeroboam quicumque volebat, implebat manum suam, & fiebat sacerdos excelsorum; & propter hanc causam peccavit domus Jeroboam, & deleta est de superficie terrae. Si vero domus Jeroboam, ob hoc deleta est quod pecuniam accipiens constituerebat Sacerdotes in excelsis, non immerito de libro vitae caelestis eorum nomina delentur, qui interventu pecuniae Sacerdotes vel Clericos in domo Dei constituunt. Puto enim, quod hi tales nunquam adverterunt Psalmistae sententiam, dicentis: Quia non cognovi negotiationem, introibo in potentias Domini. Nam si quis ideo intret in potentias Domini, quia non cognovit negotiationem; aperte consequitur, ut non intret in eas, qui negotiationes, maxime Ecclesiasticarum rerum, non solum cognoverit, sed etiam exercuerit. In novo autem Testamento humani generis Redemptor omnes ementes & vendentes de templo eiciens, cathedras vendentium columbas evertit, nummulariorum effudit, praecipio sui autoritate denunciatis, & dicens: Nolite facere domum Patris mei domum negotiationis. In quo Salvatoris facta vigilanter est advertendum, quod non dicitur cathedras vendentium movisse, sed evertisse. Levius utique ferendum esset, si talium negotiatorum cathedrae moverentur, quam si evertentur. Sicut per Joannem Dominica voce Angelo idem predicatori Ephesi Ecclesiae dicitur. Age poenitentiam, & prima opera fac; alioquin veniam ad te, & movebo candelabrum tuum de loco suo. Illud quoque in eodem facto sollicite considerate, quod per totum textum sancti Evangelii nusquam reperitur, Dominum tanta severitate, tam distincta censura justitiae peccantes corripuisse, cum non solum eloquio increpans, verum etiam facto flagello de funiculis verberans omnes eliminavit de templo; aperte demonstrans, quod tales negotiatores non sicut caeteri peccatores sunt corripendi, sed a templo Dei, scilicet a sancta Ecclesia longius sunt proiciendi. Nam sicut per columbarum venditores illi denotantur, qui sacramentum impositionem vendere conantur; sic per nummularios Ecclesiastici beneficii venditores designantur, qui domum Dei, teste Evangelio, speluncam latronum efficiunt, quia ab hujusmodi mercatoribus, quidquid possunt, capiunt, & gladio suae malitiae, non corpora, sed, quod pejus est, animas trucidare noscuntur. Tempore vero Apostolorum cum multi rerum suarum pretia ad pedes eorum ponerent, Anania & Saphira, inspirante sancto Spiritu, voto cordis pretium agrorum suorum Deo obtulerunt, qui postmodum, quia suggerente diabolo, partem ipsius pretii retinere conati sunt, voce B. Petri Principis Apostolorum Spiritui Sancto mentiti esse dicuntur; & quam grave scelus contraxerint, utriusque re-

pentina morte monstratur. Si ergo illi initio surgentis Ecclesiae tam horribili poena divinitus sunt puniti pro eo solummodo, quod partem pretii retinissent, quod solo voto Ecclesiae obtulerant; quid dicendum est de his mercatoribus, qui non suas, sed res Ecclesiae in usus suos, & propinquorum suorum non verentur vertere? Profecto sicut deterius est distrahere, vel comparare res Ecclesiae, non quas ipsi Ecclesiae conferunt, seu quas pro animabus suis fideles offerunt, quam solummodo aurum & pecuniam, quibus res emant Ecclesiae, inhiantes desiderant congregare. Ac si tandem malitia suae votum impleverint, & data numerosa pecunia, rerum Ecclesiasticarum penes se dominium habere ceperint, tunc aperiunt, qua intentione Ecclesiae militare decreverunt. Toto enim mentis annisu, undecumque possunt, corradere pecuniam student, ut, quae prius evacuaverant, possint redimplere mansuetudine; cuius aviditate impulsis sacris non parcent altaribus, sed veluti fures & sacrilegi profanas eis manus iniiciunt, pauperibus & Ecclesiarum fabricis decimas & oblationes iuste & canonicè competentes, more praedonum diripiunt, a mortuis etiam quasi fisci exactores importunis clamoribus velut tributa exigunt. Terras quoque, quas fideles pro suis peccatis Ecclesiae contulerunt, quia eas ex toto vendere non possunt, ob vilissimum reditum, pecunia accepta, quibusque concedunt. Ante se autem, ubi de lege divina, & de animarum salute esset tractandum, litibus & contentionibus clamoribus & injuriis praestrepere non desistant. Quibus ad cumulum suae damnationis non sufficit, quod ipsi pereunt, sed insuper laicos, quibus ducatum rectae viae praebere debebant, secum malo exemplo trahunt in profundam inferni voraginem. Quapropter ego Alexander S. R. E. & Apostolicæ Sedis Episcopus, immo Minister indignus, tot & tanta mala in multis Ecclesiis, & maxime in Lucensi Ecclesia, ex iniqua concupiscentia fieri conspiciens, ne sanguis iniquorum a districto Iudice de manu nostra requiratur, illa extirpare, & penitus eradicare decrevimus. Constituimus itaque, & praesenti decreto firmamus (sicut olim nostri decessores fecisse noscuntur), ut nullus deinceps Episcoporum beneficium Ecclesiae, quod quidam Canoniam, vel Praebendam, seu etiam Ordines vocant, pro aliquo pretio vel munere clericis audeat unquam conferre. Sed etiam ministros & servitores Ecclesiae gratis & absque ulla venalitate in sancta Ecclesia studeant ordinare. Nec eligant in domo Domini, qui majores sacculos pecunia conferant; sed eos, qui moribus & disciplina atque scientia divites, pro officio suo ipsam valeant sustentare Ecclesiam. Sponte Christi donaria non pro libito cuiusque invito sponso venalia fiant; sed gratis, & pro vitae meritis tribuantur; nec audeat ullus,

Contra eos, qui in suum, vel confanguineorum usum vertunt Ecclesiae res.

Simonia omnium peccatorum origo.

Decretum, ne quis Episcopus pretio conferat beneficia.

Sed gratis ordinentur.

Et non ditiones, sed probiores moribus eligat ad ministrandum Ecclesiae.

CU-

Sed gratis datum, gratiaque accipiendum.

Nihil dandum fabricae, aut donariis Ecclesiarum, nec quod pauperibus sit tribuendum, pro acceptione beneficii.

Privatio beneficii, & gradus.

Atque anathema contra inobservantes.

Subscriptio Alexandri PP.

Ex Ughelshelm.

Exordium.

Contra ordinationes per saltum.

cujuscumque gradus sit clericus, per se vel per interpositam personam aliquo ingenio pretium vel dare vel promittere; nec ipsi Episcopo, nec alicui ex ejus ministris, seu cuicumque magna vel mediocri aut parva persona. Ne vero calliditas & fraus diaboli sub specie religionis aliquos suae malitiae laqueo capiat, constituimus, & eodem modo firmamus, ut nullus cuiuscumque gradus Clericus pro Ecclesiae beneficio aliquid audeat conferre, aut fabricae Ecclesiarum, vel donariis Ecclesiarum, seu etiam, quod pauperibus sit tribuendum, quia, teste Scriptura, qui aliquid male accipit, ut quasi bene dispenderit, potius gravatur, quam juvatur. Quod si aliquis divinorum praecipitorum, & animarum salutis immemor, praefatum beneficium Ecclesiae iniqua cupiditate ductus vendere vel emere temerario ausu praesumpserit, sicut in Chalcedonensi Concilio definitum est, gradus sui periculo eum subjacere decernimus; nec ministrare possit Ecclesiae, quam pecunia venalem fieri concupit; & insuper terribili anathematis mucrone perfoctus (nisi resipuerit) ab Ecclesia Dei, quam laesit, modis omnibus abscondatur. EGO ALEXANDER Solius Dei misericordia Sanctae Romanae & Apostolicae Ecclesiae Praesul, & Lucensis Episcopus, in hoc decreto ad confirmandum SS. XXXII. Decreta circa collationem Beneficiorum in Lucensi Ecclesia, & sacrum Ministerium inibi petagendum. Alexander Episcopus Servus Servorum Dei, Lucensis Ecclesiae Canonice, ac filii per omnia dilectis, salutemque successibus, in perpetuum. Quamvis Ecclesiastica disciplina censura pro officio a Deo nobis commissa nos admoneat, vigilantia cura universis Ecclesiis toto orbe terrarum diffusis providere; speciali tamen speculatione nostrae Lucensi Ecclesiae pro posse nos opitulari oportet, cujus regimen, antequam ad Apostolicae Sedis curam vocaremur, divina nobis imposuit Providentia. Unde cum omnibus simpliciter, huic tamen dupliciter oculum nostrae speculationis intendere oportet. Nam quia inimico humani generis insidiante, sanctae Matris Ecclesiae compositos mores, ab antiquis Patribus institutos, prava quorum dam temeritas, seu potius cupiditas violare non metuit, idcirco studiosos sollicitosque convenit esse, ut, quae mala quotidie pullulant, mucrone justitiae refecentur. Nam, carissimi filii, ut vestra bene novit dilectio, in nostra praebata Ecclesia pessima inoleverat consuetudo, ut Ordines, & Canonice ipsius Ecclesiae sic passim & indifferente cuique tribuerentur, ut ille Sacerdotalis ordinis iniret officium, qui nec dum etiam Hostiarum vel Lectorum ministerium suscepisset. Nec stabili ordine sortitum fuerat, quis Missarum, solemnium celebrare, quis sanctum Evangelium, vel Apostolum legere debuisset. Indisciplinati etiam & saecularibus clericis, vita & scientia longe ab ecclesiastica doctrina sejunctis, praesi-

bata Canonice conferebantur; nec tamen abique interventu pecuniae, vel etiam praemiorum; qui ipsam Ecclesiam potius perturbare, quam moribus videbantur ornare. Quae omnia quantum Deo & ecclesiasticae religioni contraria & inimica existant, nullum ignorare putamus; vobis autem tanto verius sunt cognita, quanto diutius sustentata. Quapropter divino adjutorio simul, & apostolica fulti autoritate, haec deinceps refecanda, & in melius reformanda decernimus, eo scilicet tenore ac ratione, ut ex triginta ordinibus, qui in jam nominata Ecclesia esse noscuntur, duodecim Presbyteris traderentur, qui quotidie Missarum solemnium, & quae sacerdotali officio congruunt, peragere possent; septem vero Diaconos, totidem Subdiaconos, in his septem ordinibus, qui competenter ecclesiasticum officium juxta ordinem suum adimplere valerent; Reliquos vero choro tantummodo deputavimus. Eos ergo in praefatis ordinibus ita eligi decrevimus, ut si quando Deo vocante aliquis eorum ex hac luce decesserit, loco ejus nullus alius subrogetur, nisi ille, qui decedentis officium integritate vitae, & puritate scientiae valeat adimplere; ut si Presbyter fuerit decessor, loco ejus vel Presbyter substituat, vel qui eodem anno Presbyterii valeat honorem accipere. Similiter de Diaconibus, & Subdiaconibus eadem ratio, idemque ordo procedat. Horum autem omnium ordinationem, ita Deo annuente, volumus canonicè fieri, ut nulla venalitate, fraudis, vel pecuniae interventus aliqua possit ratione subripere; sed gratis & absque ullius commodi ratione consistat, nisi ordinandum non statuto pretio, sed sua sponte ad utilitatem vel honestatem Ecclesiae aliquid largiri voluerit. Avaritiam etenim de templo Dei eliminandam, sacrum testatur Evangelium, quod reuert, & Dominum per se ipsum nummulariorum aes effudisse, & cathedras vendentium columbas evertisse. Officium autem ipsius Ecclesiae ita ad honorem Dei fieri volumus, ut omni die una solemnium Missa cum Diacono & Subdiacono hora tertia celebretur cum Canonice horis, sicut consuetudo deposcit Matricis Ecclesiae. Illud quoque non minima correctione indigere prospeximus, quod quidam Clericorum plus suae avaritiae quam Ecclesiae consulentes, in duabus vel etiam in tribus Ecclesiis ministrare noscuntur; & cum uni vix congrue & opportune sufficiant, ambitu pecuniarum illecti duabus vel tribus, sicut diximus, suum officium pollicentur. Sicque fit, ut cum plures vicissim percurrunt, nullam canonicè & iuste regere valeant. Quapropter hanc quoque causam in melius reformantes, constituimus, & praesenti decreto firmamus, nullum, qui in majori & matrici Ecclesia deinceps fuerit ordinatus, aliam praeter ipsam posse tenere Ecclesiam; sed, sicut sacri praecipunt Canones, ipsa & sola contentus, ut competens in ea possit exercere servitium. Nec valet, & instabilis huc illucque discurrat; sed singulari Ecclesiae, quasi fixus & immobilis perseveret. Quod si quis temerario ausu haec omnia, quae salubriter ad utilitatem sanctae Ecclesiae constituta sunt, violare vel infringere temptaverit, noverit, se apostolica auctoritate, nisi resipuerit, gradus sui periculo subjacere, & ecclesiastici beneficii fieri expertem; & insuper pro sua temeritate a Cle-

& sacras praebendas Simoniacae acceptas.

Particula praebendarum in Lucensi Ecclesia facta.

De ratione istius conferendis servanda.

Ira tamen, ut pretium nullum intercedat.

Missae solemnium, sive Conventualium cum Canonice horis in eadem Lucensi Ecclesia, qualibet die celebranda, statuitur.

De pluribus beneficiis non retinendis.

Sed nisi tantum serventur Ecclesiam.

Inobservatoe Decreti hujus beneficii, & gradu privatur.

CO